AD QVODLIBETARIAM.

QVÆSTIO MEDICA.

Matutinis excutienda diſputationibus, die Iouis IX. Januarij in ſcholis Medicorum Pariſ. D. Alberto le Feure, Medico Regio moderatore.

An ſemen muliebre prolificum?

NATVRA ſolers, & rerum prouida cuilibet homini cupiditatem æternitatis inſeuit: quem cum ſolo indiuiduo minimè tueri poſſet, non interruptâ ſpeciei propagine perpetuum factura, marem & fœminam duo generationis exordia, non τυχμαίως, ſed certis legibus copulauit: eoſdémque τελειότητι pares, temperie diſtinxit & officio: non ſolo ſitu, ſed formâ, numero & ſtructurâ diſſidentibus ad generationis opificium organis inſtruxit. Nec perperam duo teſtes ſexum vtrumque nobilitarunt: à quibus benè temperatis robur omnino & corporis penderet integritas: ab iiſdem ſiue mutilis ſiue imperfectis animi & membrorum hebetudo.

ET quidem meritò teſtibus vtiliſſimis partibus, & ad vitã neceſſariis vim σπερματοποιητικὴν adtribuerunt medicinæ principes: quibus exſectis, vel malè adfectis magna temperamenti, habitus, ſubſtantiæ, vt & morum μεταμόρφωσις plerúmque deprehenditur: viceuerſâ bene vaſatis bonus ſanguis, color gratus, vigor ætatis, quemadmodum & ſanitatis efflorẹſcunt. Porrò ſanguis pura puta ſeminis materia ex toto corpore per venas tanquam per elices in ſinuoſos teſtium anfractus prolectatur: vbi, non aliter ac ſanguis candore mammarum inalbeſcit, & ſufficit lactis copiam, globuli illi ſanguinem albore tingunt: transferúntque in genitale ſemen, quod vim perfectam ad generandum ſortitur ex viribus priuatim cuique donatis.

PROPTEREA mulieres hiſce vaſculis non fruſtra præditæ ſunt, vt ſemine diſtentæ, veluti libidinis œſtro percitæ in furias ignéſque ruerẽt venereos, & felices prole redderentur: quos profectò concubitus caſtratæ abhorruiſſent: ſeminis enim & comitis ſpiritus ἐνορμῶντος titillante copiâ partes iſtæ pudendæ facile pruriunt. vnde exſecta animalia (fœminas capio) ſterileſcunt, & in aliam ac degenerem naturã abeunt. non tamen omnis ætas huiuſce humoris prolifici particeps eſt. adultiores virgunculæ circa annum decimum quintum paulo citius aut tardius pro tẽperamenti diſcrimine pubeſcunt, mammæ intumeſcunt, menſes qualitate, & quantitate peccantes fluunt: qui ſi liberius liberaliúſque prægnanti prodierint, gracileſcit fœtus & imbecillis redditur: ſine his vacillat ſanitas: nam γυναικωθῆναι χείριστον. cæteroqui metus, ne barba mento tandem erumpat.

QVÆDAM aliæ aliis ſalaciores creduntur; (ipſæ tamen vniuerſim viros ſuperant) fuſcæ, rutilæ, decolores in Veneris militiâ indefeſſæ perſeuerant: quæ quidem quò frequentius indulgent veneri, meliuſculè ſe habent: &, licet citius ſeneſcant, à multifariâ morborum tyrannide liberantur. Nec omnes generationis diteſcunt opibus, niſi bonâ vteri & corporis temperie polleant, mediocri, eóque ſano præcellant ſemine. obæſæ, viragines, item tenues & macilentæ, ἄγονοι ὡς ἐπιτοπολύ. ὑπὲρ τὸ μέτρον calidæ, frigidæ, humidæ ſunt eiuſdem ſortis. En vteri conformatio ſequitur temperiem corporis? ſi corpus eſt ἀσθενὲς vel νοσῶδες, vteri ſubſtantia tenuis erit & morboſa. σκίρρος, οἴδημα, ἐρυσίπελας & id genus tumores officiunt conceptui. quid plura? ſi menſium ſuppreſſio, vteri ſuffocatio, (in quâ vterus non mouetur) ῥοῦς γυναικεῖος, γονόῤῥοια mulierem inuaſerint, minus feracem reddent.

GRAVIORA longè oriuntur ſymptomata à ſemine in vaſis retento, quam à menſtruo. rarò hic affectus educendis mẽſibus faciles, necnon eas crebrâ viri conſuetudine libidinantes obſidet. viduæ, virgines ſucci plenæ nullum habent morbum capitaliorem. quo correptæ & corruptæ mẽte capiuntur, magna enim eſt matricis cum cerebro & corde ſocietas, nec niſi hac ſentinâ leuatæ reſipiſcunt. Hæ ἐξονειρώττουσιν, hæ γονόῤῥοιαν, & πριαπισμὸν patiuntur. Solæ (ſi pauca animalia exceperis) ſuperfœtant, & incerto pariunt tempore. Earum autem ſemen cum ſit vtile excrementum ab vltimo alimento deciduum, agit ſicut virile. ex hoc fonte fluunt liberorum cum parentibus ſimilitudines: ex eodem innumerabilium morborum labes & contagio ad prolem traducitur. epilepticæ, cerebroſæ, ingenio leues, tardæ, aliíſque id genus vitiis dotatæ ſimiles ſibi filios parturiunt. Mirum ſanè, quantum polleat vtriúſque ſexus in generando ſeminium.

Ergo ſemen muliebre prolificum.

Defendebat DIONYSIVS GVERINVS Pariſinus. Anno ſalutis 1603.



D. DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Hieronymus Tacquet.
M. Simon Bazin.
M. Nicolaus Pietre.
M. Martinus Akakia Profeſſ. Reg.
M. Petrus Paumier.
M. Petrus Ponſon Med. & Profeſſ. Reg.
M. Nicolaus Ellain.
M. Gulielmus de Baillou.
M. Henricus Monantheul Profeſſ. Reg.